



1. Budder's Joh. Franc. Epistola in nocentiam quorundam Ministrorum Ecclesie in Silesia vindicandam spectans. 1723.
2. Bücher's Christ: Frid: Theres orthodox & 1702.
3. Chladeny's Mart: J. Dissert: deomaxiam ex consilio Gamahelis cavendam, Wittenb. 1718.



DE  
 INIQVA DISPVATIONVM  
 THEOLOGICARVM PROSCRIPTIONE  
 HVIVSQVE CAVSIS  
**PROGRAMMA**

QVO  
 AD DISPVATIONES XX.

AD  
 PRINCIPIA THEOLOGIAE  
 REVELATAE A SE EDITA  
 SVSCIPIENDAS

SACRARVM LITERARVM  
 STUDIOSON

QVO PAR EST OFFICIO ET HVMANITATE  
 INVITAT

**JONAS CONR. SCHRAMMIVS**

TH. D. EIVSQVE PROF. ORDIN.  
 ET PHILOSOPH. EXTRAORDIN.

---

HELMSTADII,

Typis SALOMONIS SCHNORRII.  
 MDCCXX.



INNOVA DISCIPLINA

PROGRANMA

AD

PRINCIPIA THEOLOGICAE

REVELATAE A P. EDITA

SCIENTIAS

SACRAMENTUM LITURGIAM

ET

IOHANNES CORN. SCHUMMER

1711

LEIPZIG

IN

1711





❁    §    ❁

JONAS CONRAD. SCHRAMMIVS

TH. D. EIVSQUE PROF. ORD.

ET PHILOS. EXTRAORD.

SACRARVM LITERARVM STVDIOSIS.

**D**Vo sunt Disputationum Theologicarum genera, alterum, quod fit exercitii causâ, ut nempè aptus fiat homo Dei ad omne opus bonum, & potens sit præcipuè *πρὸς τὸ ἐλέγχειν τὰς ἀντιλέγοντας*, momente Apostolo in alterâ ad Timotheum Epistolâ cap. III. & ad Titum cap. I. quodque Academicum nunc vocaveris à loco, in quo plerumque suscipitur. Alterum Ecclesiasticum est, quo in usum illud convertitur, & errorum suorum, quoad per ipsos fieri potest, adversarii convincuntur. Utrumque verò aut vivâ voce, aut scriptis peragitur. Et prout insignem habent hæc duo ad veritatis inquisitionem convenientiam, ita necessitatem suo exemplo comprobârunt cùm Christus & Apostoli, tùm omnes Ecclesiæ Doctores, quibus de luto meliori finxit præcordia Titan. Non jam æquè de posteriori, quam de priori res erit, quoniam unius ostensâ utilitate, alterum non potest non sequi & à prudentioribus admitti.

Duodecim annos natus erat Servator, cum in loco consueto, quod tùm Templum erat, & modo eo tempore usitato, scilicet audiendo, interrogandoque & respondendo, cum Doctores Judæorum disputaret. (a) Neque hoc alio fecit fine, quàm quo nos hodie ejusmodi

A 2

Dispu-

---

(a) Luc. II. 46.



Disputationes suscipimus, quippe qui studium suum erga legem ejusque Doctores demonstrare, indeque simul proficere in animo habebat. Perperam fit, quando eum docentis instar aut prælegentis in cathedrâ pingunt, cum ad pedes Doctorum collocare debuissent, nisi affectui cuidam intempestivo quicquam voluissent indulgere. Nam hoc illud sedere est in medio Doctorum, hoc interrogare illud ac respondere, quod sequitur; scilicet quod *Christus tenuerit formam discipuli, pro indicio miræ humilitatis*; id quod jam tum ante hæc duo secula è Beda & Vincentio Valentino (b) notavit Pelbartus à Temeswar. (c) Doctoris verò officium ingressus est Christus

(b) Vulgò Vincentio Ferrerio, à patriâ Valentino dicto, Monacho Dominic. Sec. XV. cujus sub init. maximè claruit. Vid. Cav. Hist. Script. Eccl. in App. p. 78.

(c) Hungarus, qui aliàs Oswaldus, dictus à Temeswar, propter patriam civitatem. Scripsit Pomærium Sermonum, in quo Sermones Dominicales de Tempore Volumen unum constituunt. Concionator erat eximius, Ordinisque Minoritarum, claruitque sub finem Seculi XV. Celebratur quoque ejus Rosarium in IV. Libros Sententiar. Verba ejus hac de re extant in Serm. I. ad Dom. I. post Epiphan. *Patet, quod aliqui dicentes, & pictores sic pingentes, scilicet Christum sedentem in Cathedrâ in medio Doctorum, malè sentiunt; -- Sed in angulo Templi Doctores habebant scamna circulariter posita, pro consiliis & disputationibus, & ibi erat rota, libris plena. Quando autem Doctores disputabant, pueri ingeniosi ponebant se in medio Doctorum, in terrâ sedendo, & illos audiendo, ac de dubiis interrogando. Et hunc modum aliorum puerorum tenuit Christus. Materia autem, de quâ tunc Doctores disputabant, scilicet quod Hieronymus*  
in



Christus anno demum trigesimo, postquam à Johanne baptizatus, & à Sathanâ tentatus fuerat, ætate nimirum his rebus convenienti, prout de eo Lucas testatur prolixius. (d) Simili ratione se præparavit Paulus secus pedes Gamalielis, qui veritatem paternæ legis assequeretur, (e) utut deinceps hanc peritiam suam ad Religionem Christianam accommodaret, cœlesti lumine collustratus, eoque magis in illâ convalesceret, ad confundendum Judæos in suis Disputationibus, & ad demonstrandum Christum. (f) Hoc enim imprimis vult Spiritus S. per τὸ συνέχουε, quod est secundum Chrysostomum ἐπισημαίνω, ἢ ἐὰν τι εἴπω, os objurare, ne quid porro proferatur, & per συμβιβάζων, quod est juxta Ludovicum de Dieu, suas rationes ita adversanti probare, ut eum tibi quasi compingas, tuumque esse cogas. Nec ceteri quoque Apostoli, cum adhuc ipsius Christi scholas frequentarent, quæstiones de rebus arduis, quas ferret occasio, quibusque in studio veritatis divinæ confirmarentur, subinde movere, neglexerunt, prout inter alia, illustre est exemplum apud Johannem, quandò quærunt de cæco, nùm ipse, nùm verò parentes ejus peccaverint. (g) Doctores autem reliquos quod concernit, de his èò minus est dubitandum, quò certius constat ex historiâ, quod sive à Judæis sive à Gentilibus transferint ad Christianos,

A 3

stianos,

---

*in Epistolâ ad Paulinum Cap. IV. dicit, fuit de Quæstionibus Legis & præcipuè de Adventu Messie. Vid. Cav. l. c. p. 158.*

(d) Luc. III. 23. IV. 1. 14. Add. D. Danz. Inaug. Christi ad docend. Jen. 1717. edit.

(e) Act. XXII. 3. (f) Act. IX. 3. & 22.

(g) Joh. IX. 2. Conf. Act. XV. 7.



stianos, Dialecticam pro more suo in juventute exercuerint, magnoque deinceps applicuerint cum fructu. (h)

Quanquam igitur hæc res suâ luce constet, & per experientiam quotidie corroboretur, semper tamen fuerunt, qui ut Disputationes Ecclesiasticas omni conatu detractarent, Academicas omninò damnârunt, horumque adjuncta. Videbatur ex hoc numero esse R. Eliefer, quando vel morti proximus discipulos suos horumque filios à disputationibus circà legem dehortabatur, & potius eos *sedere* jubebat *inter genua & ad pedes sapientum*, hoc est, operam potius dare audiendo, quæ ad explicationem Præceptorum Divinorum faciebant, quàm multa contrà eadem excipiendo. (i) Hæc enim vera

(h) Augustin. Ep. CXIX. ad Januar. testatur pluribus, & Prælectiones & Disputationes in Veteri Ecclesia haberi solitas. Et laudatur ideò Basilius juvenis à Gregorio Nazianzeno in Laudibus eius. Accedant Disputationes Justini Martyris cum Tryphone Judæo, Athanasii cum Ario, Basilii cum Photino, Augustini cum Fortunato, Manichæo, & Donatistis, & plures id generis.

(i) Locus ita extat in Cod. *Berachot* Cap. IV. fol. 28. b. כשחלה ר' אליעזר נכנסו תלמידיו לבקר אמרו לו ר' למדנו אחרות חיים ונוכח כהם לחיי העולם הבא אמר להם החרו בכבוד חכמיכם ומנעו בניכם מן החגיון והשיבוכם בין ברכי ת"ח. *Cum egrotaret R. Eliezer, accesserunt ad eum discipuli, eumque consulerunt, dicentes ipsi, Rabbi, doce nos vias vite, per quas digni evadamus futuro seculo. Respondit ipsis, rationem habete, quicquid faciatis, collegarum vestrorum, & abducite filios vestros à Dialecticâ, eosque potius ad sedendum inter auditores sapientum, adsueticis.*



vera ejus mens videtur fuisse, quanquam Judæorum alii de studio Scripturæ Sacræ aut Legis immoderato, alii de linguis peregrinis capiant; cum sit notissimum, quod הגיון Judæis significet *Dialecticam*, quam loco citato dissuadet R. Eliezer. Quid sentiant Muhammedani in universum de Disputationibus sive Ecclesiasticis sive Academicis, tot eorum testimonia etiam ex Alcorano adducta arguunt, in quibus propterea percensendis laborat, in Prodomi ad eorum Refutationem, Parte Quartâ, Maraccius. (k) Nempe res istuc ibidem redit, fugiendos esse, qui de rebus fidei certant, imprimis si illi sint è cœtu Judæorum vel Christianorum, quorum cum Muhammedanis idem credendi Principium sit Pentateuchus atque Evangelium, idemque Deus, qui omnium fit, & ab omnibus his colatur. Quin potius, si lis incidat, precandum esse, prodigiaque in errantes à veritate cœlo expectanda, aut verò dijudicationem ejus soli Deo, cum resurrexerint mortui, ad diem nempe extremum, relinquendam. Interim verò benè agendum, itaque vivendum esse, ut si Deum testem præsentissimum advocemus, quo animo simus affecti, neque disceptationum salebris operum studium turbandum. De  
Licinio

cite. Glossa: לא תגדלום במקרא יותר מדאי משום  
; דמשכח ל"א משיחת ילדיהו  
in Scripturis; quia litera aut lingua peregrina à meditatione  
simplici puerorum animum abducunt. Buxtorffius in Lex.  
Talm. sub Rad. הזנה hæc paulò aliter reddit; qui tamen  
ibidem הגיון esse *Logicam* testatur.

(k) Cap. XXV. tot. ubi loca è Sur. VI. v. 65. XXIX. 46. III. 59.  
XXII. 65. XLII. 14. citantur sat manifesta.



Licinio, Tyranno testatur Eusebius, (1) quod & ille Deliberationes Episcoporum de rebus controversis inhibuerit.

Sed rationes horum tanti non sunt momenti, ut vel utilitatem disputationum auferant, vel eorum minuant necessitatem. Quod si enim vel maximè id largiaris Elieseri, quod discentes oporteat credere, non autem de principiis scientiarum, prout malè à pluribus fit, dubitare, ne in idem vitium incidant cum Scepticis, atque hinc nusquam domi esse videantur; non tamen impedit, quin sermonibus doctis, & secundum regulas artis ultrò citròque mistis, in veritatem singulorum inquiramus. Pariter, ut si quis imaginem depingat, nec ac initio lineas quasque minutissimas aut puncta discutiat, sed figuram rudi solùm in tabulam coniciat penicillo, aut verò si domum ædificet, & jactis demùm fundamentis, ordinem conclavium, & contignationes singulas revocet sub amussim. Contrà verò quisquis in alterutro defecerit, & vel audierit tantùm, vel tantùm disputaverit, ille mentem vel ideis simplicibus nec satis excultis, vel vagis incertisque impleverit. Hinc etiam qui hodie cum Arnolde aliisque, Lectionibus tantùm Biblicis in Academiis operam dari cupiunt, nec unquam serie suâ proponere tentant, quæ hinc didicerunt, idem sibi dictum velint. Dixeris, aliis hoc viis, quàm disputando, fieri posse, aliosque superesse discursus. Sed qui illi sunt, nisi sint, qui dissensum testentur? eumque vel tacitum, quem tibi ipsi hinc poteris formare, vel ex-

---

(1) Vid. ille Lib. I. de Vit. Constantin. c. XLIV.



expressum, & sic in promptu est disputatio. Suadere, dissuadere, quid aliud est, quàm certâ ratione disputare? unde etiam veteribus disputationes dictæ sunt orationes. (m) Laudamus ergò, quæ Marraccius quoque reposuit ad argumenta Muhammedanorum, & hoc præ ceteris, quod *Deus nolit nos credere cuilibet clausis oculis*, ut ipse ait, (n) *& bruto prorsus modo, sed ut nos Sacre Scripturæ docent, probare Spiritus, si ex Deo sint.* (o) Equidem Principi fortè displicuerit, si de causis præceptorum ipsius longius disputes, antequam expleas. At verò scire convenit, quemadmodum non repugnat, leges doctâ exponere vetitatione, & ad easdem vitam instituire, sic neque contraria esse invicem, credere fide immotâ, & credenda expensis utrinque dubiis, quæ moveri possunt, confirmare. Alium enim locum sibi vindicant errorum expugnationes, alium pietatis exercitia, nec sanè orandum solummodò erit, aut ad dilectionem confugiendum, ubi verum à falso discernendum est, prout nec in disceptando subsistere licebit, quando amandus est proximus, aut ardentes ad Deum

B fun-

(m) Vitio hominum sæpissimè trahimur ad disputationes, utpote quorum *Naturalis* esse dicitur *ad dissentientiam facilitas*, ut Icti è L. 17. §. Principaliter. ff. de Recep. Arb. item L. 77. §. Dulcissimis. ff. de Legat. 2. Hinc & Chrysofomus Homil. V. in II. Timotheum Epist. *λίχρον ἔπραγμα, καὶ αἰεὶ βέλεται ἡ ἀνθρώπινη ψυχὴ μάχεσθαι καὶ λογομαχεῖν.* Adeò ut nunquam bella piis, nunquam certamina desint.

(n) l. c. p. 69. col. 2.

(o) I. Joh. IV. 1.



fundendæ sunt preces. (p) Quod ad affectum disceptantium attinet, eum, ut patere ubique Supremo Numini, agnoscimus omnes, ita nunquam non homine ingenuo dignum requirimus, utut facilius dicamus, quales hîc esse deceat, ut per totam hominum vitam accidit, quàm qualis quisque sit reverâ, mutemus. Quæ ad coelestere Academiam seu Resurrectionem Mortuorum differuntur, ea tantùm sunt, quæ nullis commentariis, nullisque disputationibus in hoc seculo assequi possumus, de quibus Paulus: (q) *Cum, inquam, venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est; & Servator optimus: (r) In illo die me non rogabitis quicquam.* Et si quis hîc limites excesserit, eum cum Scholasticis quibusdam & similibus in alterum incurrere extremum, seque innumeris implicare falsitatibus, non diffitemur. Pessimum denique hominum genus est, quod examen ac labores refugit, & pro his quærit prodigia, Deumque tentat, id quod Pharisæis obiiciebat Christus. (s) Cum enim ibidem præmississet, quales sint Disputationes nostræ, vel Colloquia, cum de omni verbo otioso in die iudicii ratio-

---

(p) Rectè Marraccius l. c. p. 68. ad verba Mauviæ cujusdam, fil. Coræ, Disceptationes de Religione vana & inutilia reddere opera, contrarium potius afferendum ducit, quod nempè, *quò magis cognoscitur veritas, eò magis conveniat, opus esse utile & perfectum.* Nam in practicis res maxime redit ad propositionem Majorem, h. e. ad Leges & Jura, de quibus disputandum. Res facti, quæ ad Minorem pertinent, sub disquisitionem propriè non veniunt, ut nec Historia in univèrsum, & res singulares.

(q) I. Cor. XIII. 10. (r) Joh. XVI. 13. (s) Matth. XII. 39.



rationem reddere nos oporteat, istique à verbis ad signa procederent, sermonibus suis parùm fisci, *Generatio mala*, ajebat Servator, & *adultera signum querit*. Videant autem, ne his quicquam indulgeant etiam Christianorum nonnulli, qui ad fidem stabiliendam diris potius & execrationibus, quàm rationibus uti malunt, siquidem, ut Marraccius benè inquit, *Deus non relinquit veram Religionem ita probationibus destitutam, ut necesse sit, vel etiam liceat, ad eam à falsâ dignoscendam, per huiusmodi temeraria experimenta Deum tentare.* (t) Aliis igitur idem largiantur Mahumedani, propter quod laudant Abrahamum. (v)

Nec tamen extrâ Ecclesiam tantùm Christianam, sed & in eâ reperiuntur non pauci, qui diversis finibus, diversâque ratione Disputationes Theologicas prohibuere. Quod si enim vel ad tempora nobis viciniora saltem respiciamus, nonne illorum numero accenseri poterit Pius IV. Pontifex Romanus? quando ille Anno MDLXIV. Bullâ peculiari, (x) quâ

B 2

Con-

(t) l. c. p. 67. col. 2.

(v) Abrahamum disputâsse de Deo cum Nimrodo, & cum parente suo, eosq; idololatriæ suæ convicisse, Turcæ cum Judæis quibusdam fabulantur. Vid. Marracc. l.c. Part. IV. p. 84. & 90. Quod si autem disputationes concessæ contrâ Idololatrias, cur non æquè contrâ alios quosvis errantes? Dat rationem Marraccius l. c. p. 68. c. 1. quod primò quidem contrâ Judæos, & dehinc etiam contrâ Christianos, *in acie stare haud potuerint*, sed manifestissimi erroris ab his fuerint damnati.

(x) Addi hæc solet Decretis Concil. Tridentini. Ac proinde



Concilium Tridentinum confirmaturus erat, omnes Commentarios, Glossas, Annotationes, Scholia, omneque omninò Interpretationis genus, super ipsius Concilii huius Decretis, quocunque modo edere, aut quicquam quocunque nomine, etiam sub pretextu majoris Decretorum corroborationis aut executionis, aliove quæsito colore, absque autoritate Pontificis, (hoc est, absque præscitu & consensu ipsius,) statuere, sub excommunicationis lata sententia pœnis, damnavit. Ecce verò, quàm hinc nullum Disputationis Theologicæ genus, sive illud pro veritate illustrandâ, sive pro eâ publicè defendendâ faciat, excipiat, doctisque relictum sit. At quomodò, proh! Deum immortalem, quisquam Christianorum, ne dicam mortalium, eiusmodi ausit prohibitiones, quas vanas tamen esse atque frustraneas, ubique locorum apparet? Equidem hic jactitare solent Imperatoris Martiani Decretum, quod habetur Cod. de Summâ Trinit. & Fide Catholicâ: *Ne quis in Synodo semel judicata & rectè disposita disputando revolvat; & prout verba eiusdem epilogi ex Actis Concilii Chalcedonensis allegavit Chemnitius: (y)*  
*Cesset*

---

inde instituta est in Curiâ Romanâ Congregatio Interpretum Conc. Tridentini, de quâ vid. Hunold. Plettenbergii Notitia Tribunal. Cur. Rom. ed. Hildes 1693. Cap. XVIII. Quam tamen Congregationem non apud omnes eandem fidem habere, idem ibid. testatur. Nec enim, quod omnibus in Ecclesiâ convenit de jure, illa sibi reliquis exclusis adscribere potest, utut accedente Autoritate Apostolicâ.

(y) Examen Decret. Conc. Trident. in Prefat. ubi idem de Potestate Disputandi, adversus hanc prohibitionem.



*Cesset jam profana contentio, quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quarit.* Sed si hæc verba ad quamvis prohibitionem trahere velis, non licet hodie vel ipsis Pontificiis quicquam commentari aut scribere, absque mendacio. (z) Nec magis excusari potuit Lex illa Gallorum, quæ est inter Articulos, Anno circiter MDCLXXIV. ad Uniendos Protestantes ab illis editos, secunda: (1) *De Capitibus Fidei*

B 3

con-

(z) Ediētum hoc extat in Actis Concil. Chalcedonensium Præfat. & Epilogo, quæ in Cod. Justiniano abscissa sunt, utpote ubi hæc verba Libr. I. Tit. I. leg. 4. *Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cujuscumque conditionis, de fide Christianâ publicè, turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidia occasione requirens. Nam & injuriam facit Judicio Reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè disposita, revolvere, & publicè disputare contenderit.* Sed Glossa excipit scholas, & confutationes hæreticorum. Adde quod & præter scholas detur causa addiscendi, v. gr. in ipsis Pastorum Diocesis. Cothmannus Comment. ad Lib. I. Codic. Tit. I. p. 27. explicat per otiosas, inanes, & perniciosas quæstiones suscitare, atque insolitas ac novas phrasas somnari & proferre, & non ad S. Scripturæ regulam loqui, sed verborum licentiâ de rebus, quæ his significantur, impiam genere opinionem, tandemque se disputando in eâ arctare, ut nec exitus sit ullus, nec facilis reditus. Hinc istiusmodi inutilibus aut seditiosis clamoribus abstinendum esse, docemur etiam ex Art. III. Pac. Osnabrug.

(1) Habentur illi in Libr. Hag. Comit. 1682. edito, tit. *La Politique du Clergé de France*, Part. I. p. 337. sqq. Gall. Idiom. Ubi sic Art. II. *On ne disputera point des Croyances*

con.



*controversis neminem imposterum disputaturum, sed Prædicantibus pro parte alterutra aliquid proferendi, hoc ipso interdici potestatem, & Prælectiones Scholasticorum ex Academiis prorsus proscribi.* Quæ tamen si præstitissent isti, absque dubio censuram ipsius Pontificis incurrissent. Quantò rectius igitur diu ante Hospitalius, Galliæ Cancellarius, *Non vi, inquebat, & armis, sed piis sermonibus & sanctâ vitâ victoria est querenda. His armis olim Hæretici perdomiti. Non homines, sed hominum vitia odio habenda, eosque, qui in errore sunt, conabimur in viam revocare.* (2) Tumultus & perfidiæ occasionem cum Imperatore ante dicto objicientibus, respondendum, malè confundi, quæ per abusum fiunt, cum his, quæ per se ac necessitate quâdam consequuntur: ac proinde Imperatorem huic tantùm differendi generi per legem suam restitisse, quod malè impenditur, ipsa ejus verba docent. (3) Nec rectius fecerit, qui ideò prorsus disputari nolit, quàm qui resistat peregrinationibus, quod illæ Antonio Cleopatram conciliaverint, Persiæque, cum eam intrâisset Alexander Magnus, virum mutaverit. Quin, ut ex affectibus rixæ, sic ex his turbæ nascuntur, non autem ex ipsis Disputationibus, honestè institutis. *Nec hilo melius est, quæ verba*  
 B. Dann-

---

*controverses, e sera defendu aux Predicateurs, de precher ni pour ni contre, e sera la lecture des Scholastiques prohibée dans les Ecoles.*

(2) Vid. Res in Gall. ob Relig. gestas sub Carol. IX. Ann. 1560. fol. 73. c. 1.

(3) Equid. Glossa ad Leg. cit. *Semper præsumi occasionem tumultuum;* at benè est, quod additur, nisi fiat addiscendi, vel alios convincendi causâ.



B. Dannhaueri sunt, (4) *Disputationibus involvi veritatem non evolvi, intricari, non extricari. Sed quibus? barbaris illis, inartificiosis, ac sine lege fluentibus, vitiligationibus, illis scilicet, ubi edēs edevos cūsen, sicut apud Cyclopas, ubi palmam refert, qui à linguâ optimè instructus est.* Audiantur ergò autores de Methodo Disputandi, quotquot sunt meliores, & ipsa in ætate juvenili præmittantur exercitia, & cessabit hæc objectio. Si enim operam damus arti equitandi, digladiandi, saltandi, & pluribus ejus generis, ut vitemus omne, quod in his incongruum est, & noxam quoque fortè evenientem avertamus, cur non idem liceat in sermonibus, quibus contraria vel demonstremus, vel demonstrata elidamus? Sed bene est, quod saniores Pontificii hic palmam cedant veritati, & rectè ideò contrà dissentientes glorientur.

Sunt denique Sociniani, homines nasuti, & solidæ eruditionis specie aliis imponentes, qui præterea, quod ordinem bonarum consequentiarum è sacris literis nunc rideant ipsi, nunc earum etiam nobis imputent negationem, ac si omnia totidem verbis in sacris literis reperiri statuamus, (5) novâ quoq; at pessimâ viâ aggrediuntur Disputationum Academicarum necessariam brevitatem, (6) *Per se scilicet cum Smalcio ridiculum putant, libros copiosè & accuratè per modum disputandi conscriptos thesibus propositis refutare velle, cum thesium natura sit, asserere tantum aliquid, idque nudè probare, vel saltem aliorum*

---

(4) Id. Bon. Disp. Sect. I. c. I. Art. I. §. 2.

(5) Vid. Kesler. Exam. Logic. Photin. in Proæm. Sect. I. Membr. VIII. Franz. Vindic. Dispp. ad Aug. Conf. contrà Smalz. Qu. III. ad Disp. I.

(6) Vid. Franz. I. c. Quæst. II. ad Disp. I.



*liorum sententias, brevissimè perstringere.* Sed rectè ad hæc quondam Theologus eximius, Wolfgangus Franzius, quod *in Scholis & Academicis Disputationes seu Theses proposituri, utroque isto officio, sive demonstrantium sive disputantium, defungi gestiunt, & satagant, si ex conscientia gloriam Dei quærunt, & animarum æternam salutem, accuratius; quia habent, qui coràm in faciem ipsis resistant, & ore tenus illicò repugnent; unde experientia comprobaverit, à multis Theses & Disputationes Academicas solertius, quàm ipsos alios eorum libros Homileticos formari.* Addit ergò, relinqui saltem utrinque, inter libros prolixiores & Disputationes Academicas, hanc differentiam, quod hæc per numeros distinguantur, illi secundum paginas dinumerentur. Scilicet, sic magnitudine, non pretio suo & argumentis, æstimantur libri. Conveniunt autem cum his Fanatici, ex quibus, qui subtiliores videri cupiunt, non quidem de omnibus prohibent disputationes, quæ è sacris literis eliciuntur, sed de illis solum, quæ in diversas trahuntur sententias. (7) Quasi verò dissensiones istæ silentium nobis imponerent, nec de rebus etiam manifestis sapè orirentur. Atque hi sunt, qui huc maximè spectant. Durum de Pascolo

---

(7) Arentsonius in Epist. ad Fr. Spanhem. p. m. 52. Obes wol wahr ist/ daß wir einzeln consequentien und folgen/ die bey dem einen so/ und bey andern wieder anders gezogen werden/ fürnehmlich in schweren Sachen/ und insonderheit/ so dieselbigen nicht ganz klar und deutlich seyn/ mit recht frey hinterhaltend und meidend seyn.



lo, (8) Bodinum, (9) Lipsium, (10) similesque, vel Politicos vel Theologos, singulatim jam non recensimus. (11)

Cum igitur omnes eò tendant, ut, qui mutuas de rebus sacris atque inter doctos agitas controversias ipsi non possunt evitare, saltem ab aliis institutas contemnant, imò supprimant ac detestentur, quæritur meritò, quibus causis isti ad tam iniquas proscriptiones impellantur. Equidem harum nonnullas simul adduximus, quas in rem suam allegare solent. At cum spuria ista sint, verioresque occultentur, adeoque eò facilius fuerit, dubia ex iisdem enata adimere singulis, ad ipsam originem hujus contemptus examinandam, propius accedamus. Inveniemus sic primò Ignorantiam, quâ fit, ut multi horum bonarum literarum in genere, & imprimis Philosophiæ solidioris, doctrinæque cœlestis, ac legum de his ritè differendi, nullam, aut certè exiguam in scholis suis habeant rationem, ac proinde ad doctorum deinceps congressus prorsus inepti evadant. Docent hoc exempla Judæorum, & Turcarum, docent idem minutia Socinianorum, de quibus queritur Keslerus, quod methodum disputandi eorum contem-

C

---

(8) In Aulico Politico, Aph. 289.

(9) Libr. IV. de Republ. c. 7.

(10) Lib. IV. Politicor. c. 3. Quanquam in hoc capite nihil nos præter turbones in Religione videamus notari, & qui rigore intempestivo damnant omne disputatorum genus.

(11) Sic Henr. Wottonus Inscriptionem Sepulcralem sibi fecit: *Hic jacet hujus sententia primus autor. Disputandi pruritus Ecclesiarum scabies. Nomen alias quare.* Vid. A. Er. Suppl. II. p. 81.



remerent. (12) Cum enim res graviores proponere neficiant, easdem alto despiciere supercilio, imò ridere, & ordinem earum studiò turbare consueverunt, contrà verò circà inutilia hærere, ne incitiã suã erubescant. (13) Atque hinc tandem odium illud disputationum, quo meliores quoque & utiliores profequntur sine discrimine. Alii res quidem ipsas utcunq; hauserunt, at modum proferendi, tum cum exercendus esset maximè, neglexerunt. Erat ex his Cresconius Grammaticus, Augustini Antagonista, qui postquam satis diu contrà hunc disputasset, vel verius, ut de eo Dannhauerus, (14) splendide nugatus esset, & verò Hipponensis Episcopus artificiosè ejus ictus excepisset, tandem negavit, *cum hoc disputandum esse, quia sit Dialecticus.* Cui tamen respondit Augustinus, (15) *ejusmodi homines indoctis prætentare fallaciam, doctis facere injuriam.* Quo quidem non intendimus, quod religioni nobis esse debeat, à formis Syllogismorum discedere, aut semper eos ita formare, ut & major & minor & conclusio disertè exprimantur. Nec enim hoc neces-

---

(12) V. gr. Quandò Smalcius contrà Grauerum circà Fallaciam Causã, contrà Ravenspergerum circà Naturam Sophismatis, contrà Franzium circà necessitatem præmittendi sensus alicujus loci S. Scripturæ, antequam eum ad probationem adhibeas, occupatur, prout hæc exempla adducit Kesler. l. c. Membr. VII.

(13) Ne quidem satis scivisse Socinum Differentiã Specificã naturam, & quid Sensus Communis sit, observat de eo Ven. Abb. Fabric. in Biblioth. Part. II. p. 73.

(14) Id. Bon. Disputator. Sect. I. Art. 2. §. 4.

(15) Lib. I. contr. eund. c. 14.



necessum esse apud candidos disputatores, dudum no-  
 ravit Cornelius Martini; (16) quin potius, si præter ne-  
 cessitatem, quod per se patet, exagitetur, nodum in scir-  
 po quærare videmur. (17) Interim si sincerè simul ac  
 doctè disputare volumus, sæpè vel ob solam falsitatis su-  
 spicionem evitandam, prompti esse debemus, ad inte-  
 grum Syllogismum struendum. (18)

Ignorantiam excipit mala causa, de quâ acrius dispu-  
 tari metuunt, qui eidem patrocinantur, ne eam prodant.  
 Observavit hanc in Turcis Marraccius, (19) *Vera*, inqui-  
 ens, & *unica ratio, ob quam Muhametis disputationes*  
*de suâ lege ac religione, nempe de Alcorano, affectis suis*  
*interdixit, ea fuit; quia, utpote non omninò cæcus, mani-*  
*festè agnoscebat, nullam in eâ esse veritatem: & si rectè*  
*inspiceretur, ac solerter discuteretur, posse illius falsitatem*  
*& imposturam à quolibet facillimè deprehendi.* Nec  
 certè aliud suberat Decreto Gallorum, quo post pacem

ini-

C 2

(16) Libr. de Anal. Form. c. V. p. 75.

(17) Iam olim Euseb. L. V. H. E. c. 25. de Sectatoribus  
 Hæreseos Artemonis, quod *non quæsierint, quid divina*  
*Scriptura dicant, sed in eo studiosè se exercuerint, num*  
*qua Syllogismi figura ad hoc reperiat, ut Divinitas*  
*Christi impugnetur.* Et si quis illis Divinæ Scripturæ  
 verbum proponeret, inquisiverint, an conjunctam, vel  
 separatam Syllogismi figuram constituere possit. Et Pi-  
 storius in Colloquio Badens. negabat, *Spiritus S. testimo-*  
*nium I. Cor. XI. 19. prius vim probationis habere, quam in*  
*Syllogismi formam fuerit compactum.* Conf. etiam Socr. L.  
 I. H. E. c. 8. Ruffin. L. I. c. 3.

(18) Ita Dannh. l. c. §. 9. p. 22.

(19) l. c. p. 68. c. 2.



nitam Disputationes cessare jubebant. Et si à Pio IV. Pontifice quæsiueris, cur quicquid ad placita Tridentina differi poterat, tam severè prohibuerit, optimè omnium, ni fallimur, quadrabit ad responsionem, quod Pius II. itidem Pontifex Romanus, ad Morbisanum Turcarum Principem similem ob causam scribebat. (20) *Cognoscis jam, sunt ejus verba, veritatem ac majestatem nostræ legis, nec utilitatem ignoras: incipis que de tuâ diffidere, & ardes desiderio disputandi, vellesque latius cuncta discutere; sed obstat legis tuus, & inquirere verum prohibet, & interminatur, & clamat: Non est mea Lex, quæ disputationi subiicienda sit. Cave, ne quid loquaris: arma sunt in manu meâ. Dum mihi credis, multum imperii adeptus es. Qui non audiunt vocem meam, gladio conterendi sunt, ensis meæ legis dignitatem tuetur. — Muliebri est, verba verbis refellere, viri ferro decertent. Si non fuisset vera mea lex, non dedissent superi imperio nostro, nec non dominationi nostræ, tantos successus atque prosperitates. — Sed audi, quàm inanis est timor. Omnis, qui malum facit, inquit in Evangelio veritas, odit lucem. Fures noctu domos perfodiunt, & in obscuro adulteri latitant, non adhibent testes, qui peccant, nolunt deprehendi mendaces. Cum his sentit legis tuus. Veretur, ne disputando suæ legis vanitates innotescant. Prohibet disceptari verbis. Armis defendi suam legem jubet, nec alium judicem, quàm ferrum deponcit, multumque gloriatur, de suæ legis incremento. Et paulò*

(20) Extat hæc Epistola in Collectan. Th. Bibliandr. ad Alcor, T. 3. p. 60. sqq.



paulò antè: *Minimè legem tuam persuadere potes, minus persuadetur veris. Quæ non in argumentorum rationibus, sed in solo ferro fundata est, ut quæ disputando vincere non sperat, sed vinci formidat.* (21)

Denique & modestia quædam intempestiva est, quam præferunt præcipuè Anabaptistæ, & qui similis cum his farinae sunt, quando de Mysteriis Divinis vix verba facere audent. Qui hoc pacto conveniunt cum Patalorinchitis, (22) Hæreticis Seculi Quarti, qui secundum Augustinum *in tantum silentio studebant, ut naribus & labiis suis digitum opponerent, ne vel ipsam taciturnitatem voce præriperent, quando tacendum sibi esse arbitrabantur.* Silentarios hos utique ferre nequit Ecclesia, ferre nequeunt Academiae, cum utrique plus noceant, quam profint. Sileant, qui disputare nequeunt. Sileant Laici imperiti, fileant fœminæ, (32) nec Spiritum Vaticiniorum temerè mentiantur, nisi fortè gratiæ donis præter naturæ consuetudinem collustrari, res ipsæ ostendant. (24) Disputent verò in loco, quousque illorum extenditur peritia, & prout Leges Disputa-

C 3

(21) Sic & Tertullian. Apolog. allgeante Chemnit. l. c. *Lex qua probari se, non vult, merito suspecta est. Et si non discussa & probata dominetur, improbata est.*

(22) De his Augustin. de Hæres. c. LXIII.

(23) Quousque his disputare liceat, ostendit Dannhauer. l. c. Sect. I. c. I. Art. I. §. 3. & Prikner. de Artif. Disput. Part. I. Tract. I. Sect. I. c. 2. Qu. XVII.

(24) Talis erat Juliana Morella, Barcinonensis, anno æt. 12. qui erat A. C. 1607. Theses Philosophicas summâ omnium cum admiratione publicè defendens. Tales etiam Caro-



sputationum exigunt. (25) Qui hos limites excedunt, pro immodestis habeantur, & sive dicunt sive scribunt, censuram incurrant. (26) Ceteri verò metuant nihil, nisi disputando τὰ πρῶτα διάνειν, & cucurbitas pingere.

Hæc

Carolus I. R. Angl. & Henricus Worcestriæ Comes, de quibus Hornbecc. in Summ. Contr. p. 283. non seculares, sed exercitatos Theologos dici potuisse. Conf. Carol. Mem. H. E. ad Ann. 1607. p. 164. & An. 1646. p. III.

(25) Temerarius disputator Romæ in Societ. Iesuitar. erat comes Klenkii 1606. utpote qui irritatis horum animis aufugiebat, Klenkio relicto, cui deinceps hæc fuga causam dedit, ad Ecclesiam Pontificiorum transeundi. Vid. Carol. l. c. Ann. 1606. p. 133. Imperitus, Christianus ille, de quo idem ad Ann. 1638. p. 932. qui in Disputatione cum Iudæo de verbis Esaïæ: *Ecce virgo gravida etc.* confusus, ad castra recutitorum se recepit. Impudens & spurcus, Sanchez Libr. IX. de Matrimonio, castas Quæstionibus suis offendens aures. Fraudulentus denique, Wilhelmus Laudus, disputans cum Iesuita Piscatore, saltem quoad speciem, reipsâ verò cum eodem consentiens. Quod quidem exercitii gratiâ, non autem officii causâ, convenire putamus. Vid. Carol. l. c. ad Ann. 1644. p. 1062.

(26) Pulchrè omninò Hornbecc. S. Contr. p. 32. *Ut non omnibus committenda est præsens disputatio, quæ ore fit, quam nec quisvis arripit; ita neque scribere omnium est. Haud tolerandum, ut quicumque vult, scribat, sed ut, qui potest, scribere velit, hoc urgendum. Benè ac sapienter habetur Librorum Censura, Sed uti libri examinantur, ita velim, ut primùm ipse scriptor dignus astimetur, sive per Censores, aut Verbi Ministros, aut Theologia Professores, (sic Synodus Emdana, anno 1571.*  
Art.



Hæc verò ut scribimus eam in finem, ut & commendent Disputationes, & officii & exercitii causâ institutas, & ipsis profint disputaturis, sic utilitatem illam sentient, quotquot his operam dabunt. Quæ causâ quoq; est, quod quinque è studiosis nostris, de quibus egregia quæque scientiis sanctioribus polliceri ausim, cum vires ipsi periclitari inter se, & augere, tum alios quoque, quos præsentibus sibi fore, sperant, hujus commodi secum participes reddere, animum induxerint. Sunt illi vobis, Commilitones, imprimis ex diligentia suâ & morum civilitate satis noti,

CHRISTOPHORVS GOTTFRIED. LIMBURG,  
 Neindorffio-Halberstadiensis,  
 ANTONIVS FRIDERICVS KINDERVATER,  
 Neindorffio-Halberstadiensis,  
 CASPARVS FRIDERICVS SPECHT,  
 Landwernhaga-Hanoveranus,  
 PETRVS JOHANNES SCHNOBEL,  
 Cellensis,  
 ADOLPHVS WILHELMVS HENICHEN,  
 Helmstadiensis,

Magnam enim partem eruditionis suæ sibi haud abs re videntur consecuti, & majorem adhuc consecuturos confidunt, non tantum assidue auscultando, sed & in utramque partem differendo, quemadmodum hoc leges  
 Acade-

---

*Art. 51.) ex ratione professionis suæ, aut experientiâ & usu, qui ad descriptionem cum fructu se applicabit. Cum quo consentit Hutterus, Irenic. verè Christiano, contra Irenic. Parei, edit. Witt. 1616. Cap. II.*



Academicæ, & ipsius denique sive honestatis, sive humanitatis, exposcunt. Non dubito, illos hoc voto suo beatum iri, imprimis, quoniam præter Examina, similes quoque eruditorum perferre congressus, jam privatos intrâ parietes fuerunt edocti. Vos autem, Commilitones Charissimi, simul rogamus, vestram rem unâ agite, & præsentia vestrâ has Exercitationes nostras, quas ad *Principia Theologiae Revelatæ*, ante hoc unius anni intervallum, & quod supra est, à nobis edita, absoluta, & sub incudem quoque per modum Disputationum revocata, habebimus, & quibus jam ventilata secundis curis subjiciemus, exornate. Sic demùm ad singula attendite, & quæ conducunt, inde haurite, quæ displicent corrigite, quæ accepta sunt, grati imitamini, omniaque in usus vestros & in bonam partem convertite, & valete. Scribebam

Helmstadii d. xxv. Novembr.

MDCCLXX.





08 A 6423


Sl

R


LDIA

Hi. 75.









31

DE  
INIQVA DISPVTATIONVM  
THEOLOGICARVM PROSCRIPTIONE  
HVIVSQVE CAVSIS

# PROGRAMMA

QVO  
AD DISPVTATIONES XX.

AD  
PRINCIPIA THEOLOGIAE  
REVELATAE A SE EDITA

SVSCIPIENDAS  
SACRARVM LITERARVM  
STVDIOSOS

QVO PAR EST OFFICIO ET HVMANITATE  
INVITAT

JONAS CONTR. SCHRAMMIVS

TH. D. EIVSQVE PROF. ORDIN.  
ET PHILOSOPH. EXTRAORDIN.

---

HELMSTADII,  
Typis SALOMONIS SCHNORRII.  
MDCCLXX.

